



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XXXIX.

Medæ facinora.

7. *Metam. & Tragedia. 1. Seneca.*

Ethicè.

1. Mulier iracunda. 2. Procantium perfidia. 3. Cura parentum & exempla.

Quod Euripides Tragicorum præstantissimus de Helena canit in Oreste:

Πάσας γυναίκιν ἄζια εὐγεῖν ἔφω

Ἡ τυνδαρίς πάϊς, ἡ κατήσχυε γένος.

Omnibus mulicibus digna odio existit

Tyndari filia, quæ inflammavit genus.

Id pariter de Medea dici potest, quæ dedecus & probum fuit sexus sui, scelerum omnium portentum. Hæc postquam *Thesaurum* patrium, nempe *Vellus aureum*, amanti suo prodidit, ipsūque desertis parentibus, sorore, regno, patria, in Thessaliam secuta fuit, laniato prius & frustillatim conscisso *Absyrto* fraterculo; aliquamdiu à Jafone benè & liberaliter habita, duos filios ipsi peperit *Mermerum* & *Pheren*, Pausaniæ dictos: alij *Marmorum* & *Pheretem* eos nominant. Post artibus suis, scilicet magicis, & herbis in ahenis Hecatao coctis, *Æsonem* socerum suum senem jam, in Acherontis limine constitutum, mariti Jasonis rogatu, ad juventutem revocavit: novis scilicet beneficijs, nec exiguis, utroque devincto. Pervenit ejus rei fama ad *Peliadas* filias Peliae illius injusti, qui regnum paternum Jasonis per vim possidebat, quod supra memoravimus. Ad has ipsa etiam Medea, postquam Bacchi quoque nutrices jam anus, olim floridas Nymphas, juvenescere fecit, simulans sibi cum viro suo dissidium intercedere, confugit. Illæ eandem patri suo grandævo Peliae, qualem patruo contulerat, gratiam petunt. Medea, quæ jam ante injuriam marito illatam ultum ibat, fingit initio vultum, tanquam rei difficultate absteritum, ut suspensione responsi, desiderium petentium magis incenderet. Tandem quasi victa precibus, artis suæ experimentum in vetulo ariete præmittit, cujus cum annis &

situ

situ squalidi guttur ferro solvisset, membra secuisset, & cæcabo mersa cum herbis coxisset, mirum dictu! repente in earum aspectu aries ponit cum cornibus annos,

Et tener auditur medio balatus ahenò,

Lascivítque fugá, lactantiáque ubera quærit.

Obstupefcunt Peliades, tantóque magis urgent propositum suum; quantò præsentius specimen artis mirificæ fuismet oculis aspexere. Medea, sicut erat tota è fraudibus composita, & regem, & eius satellites in altum soporem murmure dat magico; jubet adesse filias pugionibus instructas, suáque jussa sequi. Hæ parentis ubi torum ambiere; imperat venefica, gladios ut impigrè stringant, & si quidem piæ velint esse in genitorem, senilem cruorem multis per totum corpus vulneribus hauriant, ut vetulo evacuato sanguine, juvenilis in venas infundatur. Peragunt illæ mandata, & averfis oculis (obstabat enim pietas) vulnera cumulant vulneribus, senemque frustra tendentem brachia: crudeliter dilaniant. Ultimum ictum gutturi infixit Medea, senemque confecit; & artus lebeti, quemadmodum dissectum arietem immisit. Sed ille nec juventam, nec vitam recepit. Clamore & ejulatu personat regia; ad pœnas reposcitur Medea. Ista subito ex oculis & manibus evadit; nam haud ignara itineris aërei, curru repente sublimis (dracones alati eam trahebant) Corinthum ad maritum Jasonem, læta ob vindictam, elabitur.

Eò ubi pervenit, deprehendit novis esse nuptiis implicatam conjugem; *Creontis* Corinthiorum regis filiam (Propertius *Glaucen*, Seneca *Creusam* vocat) superinduxerat. Hic enimvero furore correpta, nihil non egit, ut maritum ab adultera divertat; extrema minatur omnia, si persistat in cœptis. Frustra minæ; negat Jason se dimissurum Glaucen. Creon haud ignarus, cum qua muliere sibi negotium esset, toto illam Corinthiorum regno migrare jubet ocyùs, & exulare. Erat hoc oleum addere flammis; femina tot modis læsa, humanum omnem abjicit sensum; & irâ dissimulatâ, paucolorum rogat dierum spatium, per speciem suis valedicendo, revera atrocissimæ vindictæ, parandæ. Elapso præstituto tempore, simulat officium grati animi, & per filios, quos ex Jasonem susceperat, mittit Glaucæ, novæ nuptæ, vestem pretiosam cum monili, aureoque crinali; omnia veneficiis erant infecta. Pallam donò missam ubi incauta puella induit, ornatumque capiti & collo imposuit, subito, sed occulto igne ardere cœpit, & per summos cruciatus interire. Parens dum opem ferre satagit filix, & peruentem amplectitur, ipse quoque velut per contagium tacito corripitur incendio,

condio, in ipsisque filiae morientis amplexibus extinguitur. Non stetit hic triventricata furor. Postquam cum rege Creonte, ac Creusa, totam exulsiit regiam, Jasonis perfidiam atrocibus ultura, geminos secum liberos rapit, summa tectorum conscendit, maritum ad spectaculum invitat, utrumque filium in oculis parentis, minas & preces extremas miscens, jugulat, aliterque per auras curru fugit. Athenas delata, ab Aegeo rege benigne excipitur; quid enim non potest blanda lenocinii species? Venerat forte domum Theseus, Aegei filius, fortibus factis jam ante clarus, tum etiam clarior ob Isthmum insulam à latrociniiis purgatam. Advenam non illic agnovit parens, nam ora habitumque mutarant expeditiones bellicae, aliae ex aliis susceptae. Non ignoravit hospitem Medea, quare, suis ut consultum iret liberis, quos se ex Aegeo parituram sperabat, quibusque Thesei claritas nebulam offusura videbatur, statuit nobilissimum juvenem interficere, eique venenum in poculo, regis ipsius manu praeberet. Aegeus, ut facile suspicionem afflant maritis uxores, ratus peregrinum adventorem, non hospitem esse, sed hostem & exploratorem regni, pro hospitali scypho, pestem ei porrigit; sumit lethiferum craterem in manum Theseus, haud dubie toxicatam potionem haustus, nisi pater deprehensus in capulo, generis sui signis, poculum ei excussisset. Medea supplicium effugitura, subito nebulam magicis verbis sibi circumfundit, & inaspectabilis, per nubila, notas vias, evanescit.

Ethica.

I. (a) Iterum nobis occurrit mala femina; adeo huius herbae feraces sunt non modò historiae, sed etiam fabulae. Nos etsi sexum hunc minime diffamandum duximus, & plura jam diximus, proque occasione dicemus, quae quidam & quaedam minus patienter audiant, non possumus tamen (si mores docere volumus) Medusas, Medeas, harumque similes cum elegantia ceremoniarum excipere; cum nec Jasones, Theseos, Hercules sine censoria virgula transmittamus. Nunc de Medea. Apparet hinc, quid patret muliebris animus, in furorem concitatus. Si vindicta stimulat, in eadem ruit & sanguinem. Ut noceat, ferro sibi & igne viam aperit. Medea semper impotens. Semper immodica, sive amet, sive oderit, per proditones & parricidia grassatur suas ad libidines explendas, Nomen quidem à consilio, quod supra docuimus, traxit; sed quia, sprevit optimos rationis instinctus, posthabuitque depravatæ cupiditati, per funera in suum

(a) Muliebris iracundia.

& alio-

& aliorum exitium properavit. Documentum ipsa dedit, quod Siracides dixit cap. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Coluber sive serpens venenum gerit in capite & cauda; mulier mala insidias suas nequiter orditur, nequius finit. Ira, furor, præcipitatio, commune vitium huic sexui. Juvenalis Sat. 6. exclamat:

----- quoties facit ira nocentem
Hunc sexum! rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut laxa jugis abrupta.

Et Terentius in Heautont. de feminis huius farinae.

Neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt;
Melius, peius; proffit, obsit, nihil vident,
Nisi quod libido suggerit.

II. (b) Jason quoque nuper heroum maximus haudquaquam heroicè se gessit, amores suos à conjugè, quæ tot ipsum sibi beneficiis obstringebat divertendo, aliàmque superinducendo. Quid enim non debebat Medæ tot periculorum depultrici? quid pro *Vellere Aureo* tot aliorum votis nequicquam expetito? Nec erat, quod displicere posset in uxore. Par ætas, forma, genus. Nempe transversum egit turpis amor, quem ut exsatiaret, plures in torum pellices induxit. Sed grandi malò suò. Discant hinc mariti, ne exacerbent consortes thalami. Monet Apostolus Ephes. 6. *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Idem sibi dictum putent viri, ne uxores suas ad iracundiam provocent, injustis eas modis irritando, quod Jason fecit, datam Medæ fidem sceleratè fallendo. Neque rarum est, quod feminae ultionis auxilium à Styge postulent. Desperatio hoc facit. Unde si non per alites dracones, certè per volatiles hircos per alta feruntur. Quòd si Medea magicis jam antè artibus imbuta, monstra domuit, superbis hospitem Jasonem spoliis ornavit; cur veneficam duxit domum? cur ad nominis gloriam consequendam præstigiis usus est? Cur fidem *Hypsiphile*, Lemni reginae, Thoantis regis filia ex se matris factæ, non servavit? Conqueritur ipsa apud Ovidium, per epistolam,

Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte futura tori.

Atque hoc est, quod solent perfidi multarum nuptiarum proci; quot sponsas sibi copulant, tot suo sibi jumento mala accersunt. Vaga libido dum plurium pudicitiam fallacibus promissis expugnat, denique in striges incidit: has amat, has amplexatur, dignum patellâ operculum. De Dulcitio Diocletiani Præfecto historiæ memorant, eum, cum S. Anastasiam &

D d

Socias

(b) *Procanitium perfidia.*

Socias Virgines à Religionis castæ proposito frustra avertere tentasset, repente oculis animi, corporisque captum, de loco iudicii se proripuisse; & propinquam ad domunculam delatum, in lebetes & alia vasa coquinaria incidisse, in eorum, tanquam puellarum oscula & amplexus ruisse, vultumque tam foedè fuligine denigrasse, ut omnium risus & ludibrium factus, novum velut monstrum & spectrum exagitaretur; donec per suos domum reductus, faciem quidem pristinam recepit, mentem tamen non mutavit. Lippeloo. 25. Decemb. In hac *Apularia* sapius amatores stolidi personam agunt, & inter illos Jason chorum ducit.

III. (e) Ægeus Theseum filium non agnovit, quid mirum? oculos ei fascinavit Cupido; animum dementavit Medea. Quod verò poculum amatorium (Græcis philtum) è manibus bibitori excussit, in eo parentis officium implevit, cuius est curare, ne filii, filiæve insidiosis artibus, alloquijs, munusculis per lenones & lenas seducantur. O quoties venenum hisce poculis ab inconsulta juventute bibitur, & inde ad amoris impuri insaniam concitatur. Ovidius monet:

Philtum nocent animis, vimque furoris habent.

Sed Ægeus ipse quoque habuisset opus amico, qui medicati virûs Scyphum projecisset, ne cum Medæ lenoncinio hauriret dolosam pestem. Adeo sæpe patres exemplis docent, quod verbis vetant.

(e) *Cura parentum & exempla.*

SYMBOLUM XL.

Thesei præclara facta.

7. & 12. *Metam.*

Ethicè.

1. Princeps fortis & sapiens.
2. Inconsulta fœderum societas.
3. Prudentia Politica & Polemica.
4. Amicitia vituperabilis.
5. Puellarum deceptio.
6. Symposiorum & comestationum tempestas.
7. Vita hominum Labyrinthus.
8. Minotauri effigies symbolum secreti.
9. Diabolus similis Proculi latroni.

Parentes Theseo fuerunt, quod dixi, *Ægeus* rex Atticæ, mater *Æthra*, Pithei filia, in Peloponneso regnantis. Qualis & quantus futurus esset, & adultior accessisset ætas, ejus pueritia ostendit. Fortè *Hercules* Traze-